

Jakob Carpov

Illustrationis Apologeticæ Peccati In Spiritvm Sanctvm Adversvs Iohannem Engestroem Svecvm ...


Specimen Primvm : De Peccato In Spiritvm S. Inchoato Et Consvmmato

lenæ: lenæ: Melchior: Apud Iohann. Adam. Melchioris Vidvam, 1746

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862635225>

Band (Druck) Freier  Zugang





381


a. B.

48. b. 8.

14.

Fa-1092 (14)

2.
2.
3.
2.
4.
2.
5.
6.
2.
7.
2.
8.
100
9.
11.
10.
11.
12.



ILLVSTRATIONIS APOLOGETICÆ
PECCATI IN
SPIRITVM SANCTVM

ADVERSVS
IOHANNEM ENGESTROEM SVECVM
SPECIMEN PRIMVM
DE PECCATO
IN SPIRITVM S. INCHOATO
ET CONSUMMATO

AVCTORE
M. IACOBO CARPOVIO

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATH. P. P.
REGLE BEROLINENSIS SOCIETATIS SCIENTIARVM COLLEGA



I E N Æ

APVD IOHANN. ADAM. MELCHIORIS VIDVAM.
M. DCC XLVI



LECTORI CANDIDO, ÆQVO
VERITATIS ÆSTIMATORI

S. P.

Institutum
auctoris.



Cum ad noua Gymnafii folemnia obeunda doctrinam aliquam iuris gentium, eamque forfan non ingrattam lectoribus, difcutere et explanare, vt feci olim aliquoties, mihi propositum effer, præter opinionem ad manus meas peruenit M. IOHANNIS ENGELSTROEM Sueci, S. Theol. Prof. Prim. et Præp. T. Cathedr. Difputatio Theologica Inauguralis de fatisfactione Chrifti pro peccato in Spiritum S. præcipue aduerfus Iacobum Carpov in Theologia Reuelata Dogmatica methodo scientifica adornata, Respondente Petro Ring, Lendini Gothorum die VIII. Mart. MDCCXLVI. defenfa; quæ ad mutandam confilium, animumque ad doctrinam hanc Theologicam ab alia quacunque reuocandum, facile me induxit. Quamuis enim æquabili et temperato orationis genere, eoque ad veritates demonftrandas accommodato, quam contentiofo, delefter magis, ob eamque caufam fuo fenfu abundare alioquin difsentientem quemlibet, facillime patiar, ad difceptationem tamen publice prouocatus facere non poffum, quin errorum Theologicorum maculas, libro meo iniuria impactas, abftergam, argumen-

gumenta obiecta discutiam, innocentiamque et veritatem doctrinarum mearum in hoc loco pariter, ac in multis aliis feci, oculis civium et exterorum, penes quos præter meritum sollicitantur, exponam.

II.

Et quidni? Quamuis enim Vir S. R. modestiam in respondendo a me postulet p. 4, tali tamen cum vehementia in me inuehitur, qualem ab ignoto mihi hæcenus Viro expectare ne quidem potui. Pernegans enim, quod *de hac re problematice disputare liceat p. 131. seqq.*, in processu p. 2, *me subtilitatibus mihi visis variis limpidissimam veritatem ad minimum obscurare niti, si non prorsus tollere*; in fine Dissertationis vero p. 133, 138. passimque alibi, *sententiam meam, a se refutatam, articulum fidei fundamentalem de satisfactione Christi tangere et misere torquere, et directe obuiam ire et aduersari verbo diuino et dictis S. Scripturæ classicis, nec non libris ecclesiæ nostræ symboliceis*, pronunciat confidenter; quæ tanta in ipso confidentia est, vt p. 138. *sibi id curæ cordique esse, testetur, vt per expositionem veritatis, falsitatis larua detracta, morsum conscientie in nouarum sententiarum patronis (me scilicet, et quem mihi socium fecit, non nemine) excitet, quo, reiectis opinionibus vanis, veritati litent.* Quibus increpationibus quomodo conueniat cum modestia Theologica, aliorum sit iudicium. Quamuis enim in quæstionibus quibusdam difficilioribus de peccato in Spiritum S. quæ tota doctrina *in τῶν δυοῶντων* est, a Viro S. R. dissentiam, quamuis etiam vnus vel alter Scripturæ locus difficilior non eo, qui ipsi placet, modo a me explicetur, non sane ideo pugnx contra Scripturam et libros symbolicos ecclesiæ nostræ publice arguendus sum, quoad opiniones et explicationes eius aut ipsam Scripturam S. et libros Symbolicos, aut falsitatem iis consentaneas esse, non euictum est. At opiniones suas consentaneas esse Scripturæ S. et libris Symbolicis, existimat. Putasne vero, me non idem existimare de doctrinis, in Theol. Reu. a me demonstratis? Eadem igitur ratione posita, nonne idem mihi ius est, Viro S. R. pugnam contra Scripturam et Libros Symb. obuiiendi? At ipsa tractatio in sequentibus docebit, consentanea Scripturæ et Libris Symbolicis esse, quæ docui; vnde pugnam, mihi obiectam, ex obuiiendis parte esse, res ipsa apertum faciet.

III.

Accedit Viri Reuerendiss. Henrici Benzeli Th. D. Episc. Scan. et Blek. et Procancell. Acad. Car. censura acrior: *Imprimendam censeo, vt pluribus*

A 2

Ratio
prima.

secunda.

ribus constat, S. Scripturam, et LL. Ecclesie nostræ Symbolicos, apud nos gratis non sollicitari. Quasi vero ego sim ille, per quem S. Scriptura aut Libri Symbolici nostræ Ecclesie sollicitentur, aut qui gratis sollicitare velit! An enim is sollicitat Scripturam, qui post defensam eius auctoritatem diuinam sensum dictorum Scripturæ summa cum cura quaerit? qui consensum Scripturæ cum dogmatibus suis vbique ostendit? Dissensum vero a sententia priuata quorundam Theologorum in quaestione Theologica difficiliore si hoc, putas, esse, quod est sollicitare Scripturam et Libros Symbolicos, alienissimus es a veritate, et probe distinguenda confundis; pace Viri Reuerendissimi dixerim. Deinde fac, sollicitasse me Scripturam et Libros Symbolicos, quod nego et pernego; an sollicitassem apud Suecos? An in Suecia liber meus typis excusus est? An vero ego sub Suecorum ditione sum? Licuisset igitur, si ita se res haberet, argumenta mihi opponere; sed opponere ideo, ne apud Suecos gratis sollicitare viderer Scripturam et LL. Symbolicos, non licuit. Ex quibus intelliget, spero, Vir Reuerendiss. se censura iniqua iniuriam mihi intulisse.

IV.

7
*Observatio
 de methodo
 scientifica
 in Theologia,*

Sed antequam ad caput causæ progrediar, pauca quædam, quorum primum ad methodum scientificam in Theologia Reuelata, alterum ad modestiam in controuersis tenendam, tertium ad ipsum præsentis scriptionis negotium pertinet, placet præmonere. De methodo Vir S. R. Engestrœm habet ita p. 3: *De Methodo sola cum CARPOVIO non contentendam. Sequatur eam per me, qui voluerit, modo nihil veritati detrahatur; quamquam, nihil utilitatis magis ex hac, quam ex recepta inde a malis retro annis, methodo in Theologiam redundaturum, certo sum persuasus; quo præmissio, monita quadam Berer foreg-sekten Sammlungen von alten und neuen Theol. Sachen junioribus commendat.* Quemadmodum vero de his disputare, huius loci non est: ita bene quidem agit Vir S. R. methodi libertatem mihi relinquens, quippequa ipse quoque, non inuito me. fruitor; fallitur autem, nihil utilitatis magis ex scientifica, quam ex recepta methodo, in Theologiam redundare, sibi persuadens. Non equidem Viro S. R. opinionem suam inuideo, si meliorem data opera adspernetur. Ego vero iam dudum ostendi, *methodum scientificam in Theologia facere ad distinctam cognitionem nexus realis veritatum Theologitarum, facere*
ad

ad euidenciam rerum in Theologia, et ad analogiam fidei plenius perspicendam, facere ad controuersias Theologicas solide decidendas, et vt omnia verbo complectar, facere ad augmentum cognitionis Theologicae (v. Theol. Rev. Tom. II. præf. §. 12. seqq.); quæ omnia si flocci pendenda sunt, sententiam suam Vir S. R. sapientibus rerum æstimatoribus persuadebit. Neque vero ego contendam cum eo, quantum mea methodus abeat ab methodo, neque heri neque nudius tertius primum nota, in qua thesi subiungitur de Deo, tanquam thesicos explicatio, dum ab hac non longe meam abire, sibi persuadet p. 4. Nam cum differentia inter thesin, et thesin, e principiis Theologicis demonstratam ita, vt nexus veritatum intelligatur, nondum perfecta fuerit, vereor, ne pauca dicendo opera abutatur; vberior autem explicatio ab instituto me reuocaret.

et spectatum
de methodo
auctoris.

V.

Deinde quod ad modestiam attinet in controuersia tenendam, quo animo oppugnationem Theologiæ meæ laturus sim, Vir S. R. addubitans, de re ipsa, inquit p. 3. 4. cum Adversario agam. Qui an me excipiturus erit ea ratione, qua CLVGII monita ad Locum de Creatione excepit, dies dabit. Monita Cl. CLVGII suis fundamentis niti, Autores indicatarum collectionum pro anno 1730 p. 224. notant; et interpositis quibusdam: si sincere, atque amice, mecum agere Cl. CARPOV voluerit, me certe paratum, annuente gratia Diuina, habiturus erit, cum quo vterius conferat; Si minus, duriora ego nibili reputans sibi vi sapiat, eum relinquam, quandoquidem scripta eristica, quæ acerbum animum redoleant, mihi semper sordent, quæ et responsione indigna esse, non sine causa reputauerim. Ad quæ habeat declarationem, quæ sequitur. Cum dubitationes doctorum viroꝝ veritati vel magis illustrandæ, vel confirmandæ, vel restrictius proponendæ, occasionem dent, dubia mihi et argumenta contraria proponenti non succenseo, quoad veritatem eruere finis disceptationis est. An vero ad hunc finem quidquam censere contempnim habere aduersarium? an conuicia? an obtestationes? an alia eiusmodi inhumanorum ingeniorum specimina? Rusticum igitur disputandi modum detestatus, modeste omnibus, qui modestiæ limites non transgrediuntur ipsi, respondeo; quemadmodum scripta mea publica loquuntur. Si quis est vero, qui sub argumentorum qualiumcunque specie debacchari in me,

Observatio
alia de modestia in controuersia.

librumque meum ludibrio exponere, sibi integrum putat; quique argumento Clerici Theologico, ab invidia ducto, ut præstantior Theologus (quasi verol) videatur esse, aduersus me vsus, non auditum me nec defentum nomine errorum Theologorum damnat publice et confestim, eiusmodi aduersarium excipi grauius, et compepsi petulantiam ipsius, tam amor veritatis, quam caritas Christiana postulat. Nam futilibus argumentis in se, quorum pondus e rusticitate et conuiciis arcessitur, in suspensionem errorum perniciosorum aut in contemptum adduci Theologiam meam, hoc est, quod nequeo permittere, quoad de veritate doctrinarum mearum conuictus sum. Aduersarium autem procacem atque superbum intra limites modestiæ, æquitatis et moderationis reducere verbis grauioribus, cum lenioribus locum non det, estne hoc ei bene, vel male facere? An reprehendimus medicum, qui grauiori morbo grauiorem curationem et ancipitem, ex quo lenior nil prodest medicina, adhibet? Quod autem ad Virum S. R. Engestrom attinet, laudo equidem, quod *scripta eristica, quæ acerbum animum redolent, sibi semper sordere, dixerit*; miror vero, quod propriam regulam tam repente transgressus sit. Namque an moderationis, et vt rectius dicam, an iustitiæ est, propter dissensum aliquem Theologicum in doctrina difficiliore, confestim alteri exprobare, quod *verbo diuino et dictis classicis scripturæ et Libris symboliis ecclesiæ obuiam eat directe?* quod *larua falsitatis detracta, morsus conscientia in illo excitandi sint?* An argumentis mihi oppositis, statim causa cecidi? An non prius audiendus sum, quam victoriam sibi adgressor tribuat? Iudicet igitur Vir S. R. quo animo secus egerit? Iudicet, quo animo in sinistro iudicio vnus vel alterius ephemeridum litterarum auctoris præsidium quærat contra me? Quasi vero huius auctoritate liber steter cadatue! Quasi vero ad argumenta Clugiana non bis a me publice responsum esset! Iudicet, an modestiam iure adgressor postulet ab eo, in quem impetum facit inhumanum? Sed quomodocumque id se habeat, dabo tamen operam, vt quoad sine veritatis dispendio fieri potest, modestiam teneam in respondendo, certe ne moderationis laude Viro S. R. cedam; quanquam oblata occasio *ulterius cum ipso conferendi*, ad id me non mouet. Nam ne de distantia locorum dicam, nec abundantiam subsidiariorum, quæ patria Germanis offert, commemorem, studiose lecta relectaque Illustratione præsentem, ipse Vir S. R. doctrinam rectiorem, saniorum firmiorem frustra peti a se, si peterem, nolens volens agnosceret.

VI.

Ad quamam Superest, vt de ipso præsentis scriptionis negotio pauca moneam

in

in limine. In disputatione qua mihi opposita est, Vir Cl. Engestroem identidem ad *disputationem* suam de peccato in spiritum S. prouocauit; quæ vero dum ad manus meas non peruenit, nec ignota antea, intra hoc breue tempus comparari potuit, perstare in illis, quæ in disputatione mihi opposita inueni, examinandis debui. Deinde vero quoniam in hac bene multa quidem aduersus me, at multa quoque aduersus virum alium, quem Vir S. R. *Nonneminem*, nomine pariter atque libri titulo suppressis, vocat, nec non passim quædam aduersus *Iob. Lud. Warffelium* in *Diss. de peccato in spiritum S. GypsiWalde* anno 1704. edita, leguntur, quod ipse Vir Cl. in fronte posito: *Præcipue aduersus Iacobum Carpoz* significat: Lectorem celare nolo, quod in iis tantum, quæ a me scripta sunt defendendis operam studiumque collocaturus, aliena quæuis vero silentio præteriturus sim. Satis enim firmitatis dum in meis argumentis est, alienorum vindicias agere, meum non est. Tum quia omnis disceptatio propter occultam veritatem eruendam et Lectoribus ante oculos ponendam instituitur, quem euoluendo non implicando propositiones, finem adsequimur, ordinem doctrinarum quidem Clar. Opponentis, sed non prolixitatem nimiam paragraphorum, quæ haud paruum perspicuitati obicit impedimentum, sequar. In ipsis autem argumentis obiectis dilandis verlabor ita, vt ex Theol. mea Reu. ante omnia repetam propositionem impugnata, vt eandem denuo demonstrem, vt enarrem verba Clar. Opponentis, vt quod latet in iis, argumentum in forma Logica proponam, vt denique secundum eandem directe vel indirecte pro re nata respondeam. Quem disputandi modum non improbabat, spero, Vir S. R. si veritas ei curæ cordique est. Nam veluti secus agendo complicatur, quod dissoluendum erat, et a scopo oberratio fit: ita ex aduerso *arctissima* Logica in disputando ad controuersias dirimendas via est proxima et compendiaria. Denique cum omnem vindiciarum ambitum præsens programma capere nequiverit, accipis iam tantum, Lector. specimen primum datis nouis scribendorum programmatum occasionibus, Deoque aduente, reliqua accepturus.

auctor non respondeat?

Quemnam ordinem auctor seruet in respondendo?

VII.

Ad caput causæ iam progressurus, elumbiaque esse argumenta, quibus oppugnor, qua singula membra expositurus, doctrinas in controuersiam adductas, aut certe proxime cum iis connexas, e Theologia mea Reu. repetam, vt melius et expeditius Lector, quid sit id, de quo disputamus, intelligat. Sunt autem hæ:

Epitome eorum, de quibus disputandum est.

1. Pec-

1. Peccatum contra Spiritum S. est veritatis cœlestis, ad salutem homini applicandæ, oppugnationi i. malitiosa, i. e. contra meliorem cognitionem et conuictionem ex proposito voluntatis plane libero facta, 2. speciosa, h. e. facta sub variis pretextibus, 3. finalis, h. e. ad finem vitæ vsque continuata. Quod qua membrum primum et secundum ex exemplo Pharisæorum, qua tertium ex attributo huius peccati, quod est irremissibilitas, tanquam e principiato ad principium concludendo, colligitur. vid. Theol. Rev. Dogm. Tom. I. §. 1388. cum Schol. i. et §. 1394. 1395.

2. Peccati in Spiritum S. gradus dantur, prouti officium Spiritus S. in conuersione hominis modo magis, vel minus atroci impeditur et oppugnatur. Pharisæi vero in summo huius peccati gradu, atrocissimos modos adhibentes, versabantur. v. Theol. Rev. T. I. §. 1390.

3. Verborum Christi: *quisquis fuerit locutus aduersus Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* Matth. XII, 32. hic sensus est: *peccatum in Spiritum S. nequit remitti*, quoniam verborum adiectorum: *omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus* non hic sensus est, quod *omnia peccata reliqua actu remittantur*, sed quod *possint hominibus remitti*. l. c. §. 1394.

4. Peccatum in Spiritum S. non est irremissibile, quatenus maliciosam speciosamque veritatum cœlestium impugnationem inuoluit, quoniam alias aut grauitas huius peccati (sc. impugnationis iam dictæ) infinitum meriti Christi valorem superaret, aut Christus pro eo non satisfacisse dicendus esset, quod vtrumque falsum per 1. loh. II, 2. Itaque peccatum in Spiritum S. est irremissibile, quia homo in illo ad finem vitæ perseuerat. l. c. §. 1395.

5. Quia peccatum in Spiritum S. est irremissibile (n. 3), est autem propter perseuerantiam ad vitæ finem (n. 4.), perseuerantia finalis pertinet ad essentiam peccati in Spiritum S. adeo, vt si desit perseuerantia finalis, sit tantum *peccatum in Spiritum S. inchoatum, non consummatum*. Non enim, si finale non sit, est irremissibile. l. c.

6. In aliis quoque peccatis mortalibus homo ad finem vitæ perseuerare potest; quo posito, nec possunt amplius remitti. Attamen perseuerantia finalis aliorum peccatorum notionem et essentiam non ingreditur; quod secus se habet in peccato in Spiritum S. Huius igitur diuersitas ab aliis peccatis salua manet. l. c. §. 1395. Schol.

7. Quisquis peccatum in Spiritum S. inchoauit tantum, pro illo, vt conuertatur, orandum est; non autem pro illo, qui consummauit, quia post mortem remissio peccati nulla est. l. c. §. 1396.

8. Satis

8. Satisfactio Christi passiva facta est, ut a reatu poenae diuinæ liberemur, actiua vero, ut vi illius Deus iustos nos reputaret et saluaret. v. Theol. Rev. Dogmat. T. II. §. 35.

9. Ut in Christum credamus, est præceptum vel lex diuina, secundum 1. Ioh. III. 23. *Lex fidei* est, quæ in Christum credere nos iubet, eiusque summa est: crede in Christum finaliter; sed *lex operum* dicitur, quæ in decalogo continetur. 1. c. §. 63. 64.

10. *Animia* est defectus fidei saluificæ, h. e. adprehensionis fiducialis satisfactionis Christi. 1. c. §. 58.

11. Hæcce est vel *finalis* vel *temporaria*, quarum *illa* dicitur, quam homo ad mortem vsque naturalem continuat, *hæc*, quam non. 1. c. §. 393. Est autem cum peccato in Spiritum S. semper coniuncta *animia*, eaque finalis, si peccatum in Spiritum S. consummatum, temporaria, si tantum inchoatum sit. v. 1. c. §. 396.

12. Christus satisfactionem passiuam præstitit pro omni transgressione legis operum, nec non pro transgressione legis fidei temporaria, non vero pro transgressione legis fidei finali, quia ob hanc ipse peccator sustinet poenam peccato æqualem. sc. damnationem æternam; at Deus duplici poena peccato æquali non punit peccatum. v. 1. c. §. 392. 394. 395. Atque huc pertinet Hebr. X. 26 -- 31. v. 1. c. §. 395. Sch. 1.

13. Itaque *animia* finalis non est obiectum pro quo reale satisfactionis Christi passiuæ. 1. c. §. 397.

14. Quia Christus non satisfecit pro *animia* finali (n. 12.), nec satisfecit pro peccato in Spiritum S. consummato. Nam hoc cum *animia* finali est coniunctum. 1. c. §. 396.

15. Denuo igitur, peccatum (consummatum) in Spiritum S. irremissibile esse propter finalem perseuerantiam, adparet inde, quia irremissibile est, quatenus Christus pro illo non satisfecit (n. 14.), sed Christus pro illo non satisfecit, quatenus finalis cum illo coniuncta est *animia* (n. 11.). 1. c. §. 396. Sch.

VIII.

Vides, Lector, epitomen eorum, in quibus præsens disceptatio potissimum versatura sit. Attamen sunt etiam quadam istorum, in quibus consentientem me habere Virum S. R. tanto est mihi acceptius, quanto facilius ex iis, tanquam concessis, erroris ipsum convincere poterit. In censum istorum venit ante omnia *definitio peccati contra Spiritum S.* In illa enim amice me conspirare cum illis, quæ communiter in Locis Theologicis a nostratibus adferuntur, quæque vera esse, et ipse in sua Diss. de peccato in Spiritum S. euicerit, testatur §. 2. p. 7. Si

B

mi-

De quibus
conueniat
inter aucto-
rem & Dis-
sentientem?

14.

13.

militer de termino $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$, quatenus $\tau\acute{\alpha}$ $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha$ opponitur, convenire inter me et se, dicit Vir S. R. p. 9. §. 3. secundum meam definitionem terminum istum in Scriptura N. T. occurrere, manifestum facturus p. 11. ex Hebr. III. 12, quandoquidem recessio, de qua loquitur ibi apostolus, neque novitiam, neque assensum, sed solam fiduciam concernat; ex quo de fidelibus sermo sit, quos a defectione ab agnita veritate debortetur Paulus. Tum nec ab iis alienus est, quæ de distinctione $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$ in finalem et temporariam tradidi. Postquam enim eandem dictis Scripturæ Apoc. II. 10. Matth. X, 22. XXIV, 13, 2. Tim. IV, 7 8 Luc. VIII. 13. Matth. XIII. 20. Marc. IV. 16. 17. Iob. V. 35 2. Tim. I. 14. 15. Hesech. XII. 26, 27 ulterius confirmauerat, addit: Et certe fatemur, distinctionem istam a Theologis communiter observatam, in adplicatione genuina (sed meam etiam talem esse, sequentia loquentur) rite sibi constare. Dum enim ad tempus credere Luc. VIII, 13 fidem temporariam ponit, et perseverare ad finem Matth. X 22 esse fidelis (rectius: fidelem) ad finem Apoc. II, 10. fidem finalem sistit, utique, cum $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha$ sit oppositum fidei, oppositi oppositam esse rationem, quoad tempus et finem, patet. Transeo alia, in quibus consensus est, in sequentibus passim commemoranda. Illud vero occasione iam data, sine animadversione dimittere nequeo, quod verbis excitatis subtexit Vir. Clar. dum scribit p. 12: At enim vero verè eor, pro presenti argumento eadem sit adplicatione $\tau\acute{\alpha}$ $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$, que communior Theologorum esse soevit. Neque enim cum de temporaria atque finali fide loquuntur cordati Viri, aliter fidem considerant, quam respectu durationis vite hominis naturalis, que, sicut in tempore cepit, ita in tempore quoque suum sortitur finem secundum ordinarium naturæ cursum, de quo Ecclesiastes Cap. I. 4. ut adeo epitheta temporaria, et finalis, non exponant ipsam naturam, atque essentiam fidei, sed circumstantias, quoad vitam hominis, que affectiones fidei sunt extrinsecæ. Inde cum $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha$ sit oppositum fidei, eosdem terminos easdem quoque circumstantias, vel affectiones extrinsecas, respectu ad $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$ habito, involuere, non poterit non esse in aprico. Non enim intellexisse Vir S. R. videtur, quod essentiam generis non ingreditur, id tamen ingredi posse essentiam speciei, ut e. g. essentiam mensæ, rotundane, an quadrata sit? non ingreditur, ingreditur autem essentiam mensæ rotundæ vel quadratæ. Ita licet essentiam fidei, ut talis, sam temporariam vel finalem esse, non ingreditur; essentiam tamen fidei

An $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha$ finale
vel temporaria
esse ingrediatur
essentiam fidei
vel $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha$;
sias;

fidei finalis continuari ad vitæ finem, temporariæ autem, eam non continuari ad vitæ finem, ingreditur; quippe sine istis nec illa est fides finalis, nec hæc temporaria. Simile autem de *ἀπιστία* iudicium ferendum est. Nam quamvis essentiam *ἀπιστίας*, vt talis, nec *τὸ* finale, nec *τὸ* temporarium ingrediatur: ad essentiam tamen *ἀπιστίας* finalis pertinet continuari ad finem vitæ, ad temporariæ vero ad mortem vsque non continuari. Reliquis in seqq. respondebitur.

IV.

Sed missis, in quibus consensus est, de his potius, in quibus *ἀπιστία* Quenam habeo Virum S. R. dicam. Hæc vero ille ad tria præcipua reduxit mo- præcipua
menta p. 8. 9. quorum est *primum*, quod *distinctio inter ἀπιστίαν* finalem *controuer-*
et temporariam, vi cuius peccatum in Spiritum S. vel consummatum sit momenta
sit, vel inchoatum, ipso quidem iudice, vacillet. Ad hoc momentum *fecerit Oppo-*
vero aliam quæstionem de ratione irremissibilitatis peccati in Spiritum S. nens?
S. in perseverantia finali a me quaesita, non in oppugnatione veritatis
caelestis malitiosa, vt loquitur ipse, adiunxit. Alterum *controuer-*
momentum fecit Vir S. R. quod non pro ἀπιστία finali, neque hinc pro
peccato in Spiritum S. consummato, quatenus cum illo necessario ἀπιστία
finalis coniuncta est, Christum præstitisse satisfactionem passivam, do-
cuerim; vbi pro sententia contraria velis equisque ipse contendit.
Huic vero addit, quod *propter non præstitam a Christo satisfactionem*
pro peccato in Spiritum S. consummato irremissibile esse illud, adfirma-
uerim. Nam priore isto oppugnato, hoc quoque erat in controuerfiam
vocandum. Denique tertium controuerfæ momentum exponi video
his verbis p. 8: *Tertium momentum erit, quod Vir Cl. cum adfirmat,*
Christum satisfacisse pro ἀπιστία temporaria, pariter ac pro omni-
bus legis operum transgressionibus, et, per consequens, pro pec-
cato in Spiritum S. inchoato, contra se ipsum disputat, rite subducto
calculo; etenim et hoc vacillat, si sibi constet Cl. Viri sententia prior,
vt pote priores eius positiones eneruans; quamquam verissima sunt
alias, nude sumta, verba hæc Viri Cl. sublato tantum termino peccati
in Spiritum S. inchoati, quippe quod, secus ac sentit Autor, non datur.
Ad quæ pertinet adpendix hæc p. 9: *Tandem et cum §. 397. satisfac-*
tionis Christi passivæ obiectum pro quo reale, statuit, omnia pec-
cata hominum, contra Legem operum commissa, vt talia, æque ac
ἀπιστία temporariam, et §. 398. satisfactionis Christi passivæ

pariter ac actiua, obiectum pro quo personale omnes homines, a Christo diuersos; quin singula hæc sub tertio momento considerentur nihil obstat.

X.

An peccatum in Spiritum S. aliud sit inchoatum, aliud consummatum?

vbi 1. definitur consummatum et inchoatum in genere.

2. ratio irremissibilitatis peccati in Spiritum S. repetitur ex finali impenitentia vel perseverantia.

3. concludi-

Primum est itaque controuersie momentum: an recte peccatum in Spiritum S. aliud consummatum, aliud inchoatum dicatur esse? hoc sensu, vt si in oppugnatione malitiosa et speciosa veritatis celestis desit perseverantia finalis, sit tantum peccatum in Spiritum S. inchoatum, si ad it, sit consummatum. Hoc sensu enim differentiam hanc docui T. I. §. 139, quem locum non negligere debisset Vir S. R. quæ contra-rio ad verba quædam T. II. §. 396, supra §. 7. n. 11. enarrata, respiciens, scribit p. 13, distinctionis mea de peccato in Spiritum S. inchoato et consummato fundamentum nullum me adponere præter id, quod ex antea finali et temporaria deduxerim. Sed transeat hoc iam. Deiderato enim distinctionis fundamento, faciam ante omnia, vt nondum intellectum ex libro meo, plenius iam intelligatur. Consummatum in genere dicimus, quod ad finem perductum est ita, vt integritati (barbare dicerem: totalitati) illius nil desit amplius; sed quod nondum ad finem est perductum, et cuius integritati hinc deest adhuc aliquid, id dicimus inchoatum. Iam, teste Christo, peccatum in Spiritum S. et in hoc et in futuro seculo est irremissibile Matth. XII. 31. 32. Sed cur est, quæso, ita irremissibile, nisi propter perseverantiam, ad finem vitæ vsque factam? Nam si peccans contra Spiritum S. ad sanio-rem mentem rediens, veram seriamque agat pœnitentiam, quæratque gratiam antea reiectam et oppugnatam, non est dubium, quin remissionem peccati consequatur, quia venientem ad se Christus non expellit Ioh. VI. 37. et vbi peccatum est amplificatum, ibi superabundauit gratia Rom. V. 20. Ipse Vir S. R. rationem, cur hoc peccatum remitti plane nequeat, redditurus: verum est, inquit p. 19, peccatum in Spiritum S. pronuntiarî irremissibile, etiam in hac vita. Sequitur hoc ex natura ipsius peccati quæstionis, quod sine interuallo constanter reiecit omnia salutis media; et iterum p. 27. 28. dicit, ex parte peccatoris impenitentiam ad finem vsque vitæ in causâ esse, propter quam hoc peccatum remitti plane nequeat, licet hæc non totam absoluat causam; a parte ipsius peccati vero causam allegat omnium salutis medi-orum reiectionem malitosam cum blasphemia coniunctam et constantem. Cum igitur tam irremissibilitas pro-

pter testimonium Christi, quam perseverantia finalis, tanquam principium eius, sint peccati in Spiritum S. prædicata constantia, et irremissibilitas quidem rationem sui in perseverantia finali habeat, perseverantia finalis autem per aliud quiddam in hoc peccato, in abstracto spectato, non determinetur; cumque secundum Metaphysicam prædicatum entis constans, quod per aliud non determinatur, sit *essentiale*, tale autem, quod per *essentiale* siue mediate siue immediate determinatur, sit *tributum* sic: sit, ut irremissibilitas sit attributum peccati in Spiritum S. perseverantia finalis autem in oppugnatione veritatis cælestis malitiosa sit *essentiale* eius. Quare ut definitio peccati in Spiritum S. essentialitiam eius exprimeret, terminum *finalis* ei inferui, finalem oppugnationem veritatum cælestium inter cetera hoc peccatum dicens (§. 7. n. 1).

Neque vero, perseverantiam finalem ad essentialia peccati in Spiritum S. referens, alios Theologos consentientes non habeo. *Museus in Disp. de peccato in Spiritum S. len. 1658. edita §. 36: peccatum in Spiritum S. in quæ, per se et suapte natura cum finali impenitentia coniunctum est; quod declarat §. 37. scribens: Dico: per se et suapte natura; ad differentiam aliorum peccatorum, quæ etiam cum finali impenitentia sepe coniunguntur, per accidens tamen et ex conditione peccatoris. Alia enim peccata, quantumvis gravissima, peccanti tamen per se et sua natura viam ad penitentiam non præcludunt, sed si contingat, ut siue penitentia peccator ad mortem usque in iis perseveret, per accidens id est, et ex eo provenit, quod gratia, per Ministerium verbi penitentiam operaturæ, obicem ponit, non ex vi et natura peccati sed ex propensa in malum et obstinata voluntate, qualem obicem alii, in idem prolapsi peccatum, non ponunt. Quod autem in Spiritum Sanctum committitur, per se et natura sua viam ad penitentiam peccatori præcludit. Meisnerus in Disp. de peccato in Spiritum S. quæ in Decade I. Anthropolog. decima est, qu. 3. §. 12. negat quidem, perseverantiam finalem requisitum essentialia peccati in Spiritum S. esse; attamen concedit, esse accidens inseparabile, scribens: Finalis impenitentia (est ex adiunctis primariis peccati in Spiritum S.). Hac enim indurationem velut individuus comes sequitur. Omnis igitur peccans in Spiritum, est finaliter impenitens, sed non contra, quia multi etiam in peccatis morum perseverant, et sic finaliter impenitentes sunt. Proinde impenitentia finalis nequit esse forma huius peccati, quia non reciprocatur cum eo, ut diximus. Omnis autem forma cum suo formato reciproce dicitur. Quare convenientius statuitur, finalem impenitentiam non esse*

essentiale requisitum aut formam, sed duntaxat accidens commune, at-
tamen inseparabile, quia nunquam datur istud peccatum nisi coniunctum
cum impenitentia finali. Ratio, quia nunquam remittitur. Si autem
penitentiam quis ageret, utique remitteretur. At vero si bonus hic
Vir perspexisset, perseverantiam finalem non dici formam, sed tantum
ex forma peccati in Spiritum S. quæ differunt ut totum et pars, et totam
formam quidem dici reciproce cum suo formato, non autem singulorum
quodlibet formale vel essentiale, siquidem e. g. non dicere licet: *Omnis*
homo est substantia, constans ex corpore organico et anima rationali;
E. omne rationale homo est, et nihilominus ratio est requisitum homi-
nis essentiale: sine dubio essentiale peccati in Spiritum S. esse perse-
uerantiam finalem, concessisset. Itaque repudiavit eius sententiam
Frid. Vlr. Calixtus in Diss. de peccato in Spiritum S. Helmst. 1659.
edita, essentiale requisitum peccati in Spiritum S. quoad principium eius
esse omnium mediorum salutis reiectionem et constans in tali peccato
propositum, defendens §. 29, et prouocans ad patris Georgii Calixti con-
sentium in Diss. de pecc. in Spir. S. epist. Theol. p. 122, 123. cuius hæc verba citat:
Impenitentia quidem quodcumque peccatum consequatur, ut nunquam
illud remittatur, in causa est, verum quod attinet reliqua peccata, eo-
rum quoddam accidens et externa circumstantia est impenitentia siue
perseuerantia in peccato, huic autem intrinseca est. Etiam *Hieron.*
Kromayer in Theol. Positiuo-Polemica P. II. loc. 8. aphor. 19. p. 187:
De peccato in Spiritum S. inquit, a posteriori, finali sc. impenitentia
iudicium ferendum, et paulo post: Vltimum enim requisitum huius pec-
cati, finalis scilicet impenitentia et omnium salutis mediorum abiectio,
facit hoc ipsum irremissibile; quæ verba id quoque, quod paulo ante
dixeram (n. 2.), confirmant. Nec non Christoph. Wilckius in Theol. in specu-
lo art. XIV. §. 34. p. 149. peccatum in Spiritum S. definiens, id inter
cetera dicit esse malitiosam, pertinacem, incorrigibilem, finaliter perse-
uerantem, proptereaque irremissibilem abnegationem, hostilem impu-
gnationem, blasphemationem veritatis diuinæ. Sed qui alii me mo-
rantur, cum ipse Vir S. R. Engestrom fateatur idem? Definitionem
meam enim de peccato in Spiritum S. non solum concessit (§. 8.), sed
scribit etiam p. 19: sequitur hoc ex natura ipsius peccati questionis (i. e.
in Spiritum S.), quod sine interuallo constanter reiicit omnia salutis
media; et p. 21. natura peccati in Spiritum S. constantem inuoluit re-
iectionem mediorum salutis, et p. 25. ex interna huius peccati forma
(i. e. essentia) est quoque, ut constanter omnia salutis media reiiciat;

de-

denique p. 27. 28: *impenitentia ad finem usque vitæ est peccati in Spiritum S. adiunctum inseparabile*, et p. 34: *perseuerantia finalis in peccato questionis est adiunctum quid.* Itaque ex his concessis concludo *5. concluditur. peccatum in Spiritum S. fieri consummatum per perseuerantiam finalem,*

Per quodcumque peccatum in Spiritum S. ad finem perducitur ita, ut integritati (formæ) illius nil desit amplius, per illud hoc peccatum consummatur;

id quod ex definitione consummati elucet.

Atqui per perseuerantiam finalem peccatum in Spiritum S. ita perducitur ad finem, ut integritati (formæ) eius nil desit amplius.

Nam ut peccatum in Spiritum S. integrum sit, h. e. ut omnia essentialia sua habeat, debet esse 1. oppugnatio 2. veritatis cælestis, ad salutem homini adplicandæ 3. malitiosa, 4. speciosa, 5. finalis (§. 7. n. 1.); quemadmodum concessit VIRI. R. (§. 8.), et paulo ante, perseuerantiam finalem ad essentialia peccati in Spiritum S. pertinere, ostensum est. Quare quemadmodum quamdiu perseuerantia finalis a peccato in Spiritum S. abest, essentialibus eius deest aliquid, sic ex aduerso, simulac perseuerantia finalis reliquis essentialibus addita fuerit, habes peccatum in Spiritum S. ad finem ita perductum, ut integritati (formæ) eius nil desit amplius. Concludo igitur:

E. per perseuerantiam finalem peccatum in Spiritum S. consummatur.

Pariter argumentor ita:

Quidquid non (vel nondum) ad finem perductum est, et cuius integritati (formæ) hinc adhuc deest aliquid, illud est tantum inchoatum; *6. unde sine illa est tantum inchoatum.*

quod iterum e definitione inchoati est in promptu.

Atqui peccatum in Spiritum S. in quo non (vel nondum) est perseuerantia finalis, id non (vel nondum) ad finem perductum est, et hinc integritati (formæ) eius adhuc deest aliquid.

Nam uti paulo ante dictum, ipsa perseuerantia finalis, ut essentialia, deest. propter quem defectum nondum est integrum.

E. peccatum in Spiritum S. in quo non (vel nondum) est perseuerantia finalis, id est tantum inchoatum.

Quare si malitiosa et speciosa oppugnatio veritatum cælestium ad finem vitæ continuata, differt ab ea, quæ ad finem vitæ non vel nondum continuata est peccatum contra Spiritum S. consummatum distinguendum est ab inchoato.

XI.

*Consensus
Theologo-
rum etiam
in loquendi
modo.*

Quemadmodum igitur distinctio peccati in Spiritum S. in inchoatum et consummatum fundamento firmo innititur, quoniam ex irremissibilitate eius, quam Christus docet, tanquam ex attributo illius, quod est principiatum, ad perseverantiam finalem, tanquam essentiale eius, quod est principium; a perseverantia finali autem, ut essentiali, ad hoc, quod sine perseverantia finali consummatum non sit, per illam vero consummetur, conclusi (§. 10.); et quemadmodum omnes Theologos, qui perseverantiam finalem essentiale peccati in Spiritum S. docent esse (§. 10.), per consequentiam habeo consentientes: ita non tantum in re, sed in modo loquendi etiam stantes a partibus meis inuenio. *Frid. Vlr. Calixtus in Diss. de peccato in Spir. S. §. 29.* scribit: *Sane illa (impœnitentia finalis, paulo ante dicta) facit, ut perfectum et consummatum sit (peccatum in Spiritum S.); certo vero scire (an illa in eiusmodi homine futura sit), quoniam adyta cordis introspicere non possumus, maxime aubium et difficile existit.* Quid autem consummato opponitur, nisi inchoatum? Quid finali impœnitentiæ opponitur, nisi non-finalis? Sequitur igitur, ut inchoatum peccatum in Spiritum S. dicatur, in quo deest impœnitentia finalis. Clarius utrumque terminum coniungit *Kromayer in Theol. Positivo-Polem. P. II. loc. 8: aphor. 19. p. 187,* scribens: *Iohannes (1. Ep. V, 16.) cum de peccato ad mortem non dicit, ut aliquis roget, peccatum hoc (sc. in Spir. S.) non inchoatum, quoad aliquos scilicet gradus et requisita, sed consummatum intelligit.* Consummari vero hoc peccatum per finalem impœnitentiam, docet, dicens paulo ante: *ultimum requisitum huius peccati est finalis impœnitentia.* Doleo igitur, Virum S. R. ad locos communes Theologicos identidem prouocantem, hæc in illis non inuenisse.

XII.

An recte dicatur, impœnitentiam finalem esse adiunctum peccati in Spiritum S. et esse ex for-

Progrederer iam ulterius, nisi defectus accurationis Metaphysicæ in verbis Cl. Engestrœem, paulo ante e Dissertatione eius collectis (§. 10. n. 4.), paulisper adhuc me moraretur. Carere enim omni vitio debet, qui in alterum dicere paratus est. Impœnitentiam vel perseverantiam finalem, modo dicit, esse *ex natura peccati in Spiritum S. modo e forma eius interna, modo illam huius peccati adiunctum et adiunctum inseparabile* adpellat. An vero hæc ambulant pari passu? Ne dicam enim, metaphysicos accuratiores naturam entis a forma eius interna, h. e. ab

essentia eius distinguere, valetne idem esse ex essentia vel forma interna entis et esse adiunctum entis? Adiunctum entis enim quia adiungitur enti, essentiam suam habenti, non potest esse ex ipsis essentialibus, sed est vel *attributum*, fluens ex essentialibus, et tunc est adiunctum inseparabile; vel est *accidens*, ex essentialibus quidem non fluens, attamen nec repugnans illis, et tunc est adiunctum separabile; cum ex aduerso *essentia entis* sit primus conceptus eius, modum possibilitatis, secundum quem ens est hoc nec aliud, declarans. Itaque cum attributum et accidens differant ab essentia entis, adiunctum entis non potest ex essentia vel forma interna esse, et quidquid est ex essentia vel forma, h. e. quidquid est essentialiale, illud non est adiunctum. An igitur accurate modo adiunctum inseparabile, h. e. attributum, modo ex forma interna vel essentia peccati in Spiritum S. dicis, esse impenitentiam finalem? Minime vero. Nam si est attributum vel adiunctum inseparabile, non est e forma eius interna, h. e. essentialiale; si vero hoc, non potest attributum vel adiunctum inseparabile esse. Elucet igitur contradictio commissa.

ma eius interna?

XIII.

Et quid cesso, aliam commissam pugnam manifestam facere? Vir S. R. concessit definitionem meam de peccato in Spiritum S. et in illa determinationem hanc, quæ finalem perseverantiam indicat (§. 8.). Sed ex hac sequitur, peccatum in Spiritum S. consummari per impenitentiam finalem, et hinc hac non præsentem, istud tantum inchoatum esse (§. 10. n. 5. 6.); quod tamen is negat, et agmine quasi argumentorum conducto in sequentibus oppugnat. Itaque per contradictionem latentem, quæ patens iam facta est, contra se ipsum Vir S. R. in sequentibus præliatur argumentis, ex liberalitate tantum a me soluendis. Nam ubi ipse sibi contradicit opponens, dum tollat contradictionem, responsione non dignus est.

Contradictio commissa alia.

XIV.

Quemadmodum *malitiosam Evangelii oppugnationem et obsequium, ei præstitum per fidem, non posse simul in eodem homine locum habere, et hinc cum peccato in Spiritum S. semper coniunctam esse à πικρία*, quod concedit Vir S. R. p. 7. 8. docui Theolog. Reu. T. II. §. 396. sic addidi: *à πικρία finalem esse, si peccatum in Spiritum S. consummatum, temporariam, si tantum inchoatum sit; non, ut his verbis definitiones darem peccati in Spiritum S. consummati et inchoati, sed ut adfectiones utriusque*

An cum peccato in Spiritum S. consummato à πικρία finalis,

que ostenderem. Vir S. R. ex eo difficultates, nescio quas, extorquet, modo distinctionem inter *ἀρισία*, finalem et temporariam, vi cuius peccatum in Spiritum S. vel sit consummatum vel inchoatum, vacillare p. 8, modo aliud quidquam sine nexu dicens p. 13. Sed manifestissimum est, quod dixi, nisi data opera torqueatur. Etenim si cum peccato in Spiritum S. temper coniuncta est *ἀρισία*, quod conceditur, fieri non potest, quin cum peccato in Spiritum S. ad vitæ finem continuato, h. e. consummato, coniuncta sit *ἀρισία* ad vitæ finem continuata, h. e. finalis. Ex aduerso si peccans in Sp. S. mutata animi sententia, adprehendat salutis remedia, seriamque pœnitentiam agat, fides in eo capit initium, eoque ipso *ἀρισία* præcedens est tantum temporaria (§. 7. n. 11.). Quare dum peccans in Spiritum S. sed seriam pœnitentiam agens, committit tantum peccatum in Spir. S. inchoatum (§. 10. n. 6.), cum peccato in Spir. S. inchoato *ἀρισία* temporaria tantum, fide in *ἀρισία* locum succedente, est coniuncta. Similiter quam diu peccans in Spiritum S. adhuc viuit, peccatum eius in Spir. S. est tantum inchoatum (§. 10. n. 6.); sed dum viuit adhuc, nec *ἀρισία* eius finalis, sed tantum temporaria est (§. 7. n. 11.). Itaque in viuo adhuc peccatore in Spir. S. cum peccato eius temporaria tantum *ἀρισία* coniuncta est.

XV.

An peccatum in Spiritum S. consummatum male ab inchoato distinguatur, quia Pharisæi in gradu summo huius peccati versati sunt? Sufficere, quæ dixi, possent pro distinctione peccati in Spiritum S. tuenda, si dogmatico vterer scribendi genere. At quia in disceptatione iam est versandum, argumenta opposita quoque enarraret explodi, necesse est. Scilicet postquam de gradibus peccati in Spiritum S. agens Theol. Rev. T. I. §. 1390, Pharisæos in summo gradu illius versatos fuisse, dixeram, ex hoc Vir S. R. argumentum ducit contra distinctionem huius peccati in inchoatum et consummatum scribens p. 14: Loca (Matth. XII. 31. 32. Marc. III. 28. 29. 30) cum de Pharisæis agant, qui, fatentur Cl. CARPOV, in summo gradu huius peccati versabantur, idem in his peccatum non potuit non esse consummatum, nisi summo gradu adhuc daretur superior per consummationem, contradictione manifesta. Quin peccatum horum coniunctam habuerit *ἀρισία* non negauerim, sed quod *ἀρισία* eorum adhuc fuerit finalis, hoc et nego, et pernego, ex quo eos cum morte naturali non colluctantes Scriptura S. in locis citatis introducit. Si finalis non fuit, fuit vi que temporaria. Si temporaria, peccatum illud secundum Cl. CARPOV non fuit consummatum, sed inchoatum, accedente finali *ἀρισία* consummandum, et ad *ἀρισία* perducendum.

dum ut sic summo gradu huius peccati necessario daretur gradus superior, quod quam sibi belle cohæreat, non erit opus memorare pluribus. Ut prolixè dicta in artum contraham, argumentum est hoc:

Quicumque in summo gradu peccati in Spiritum S. versatur, ille peccatum hoc consummauit.

Alias enim summo gradu superior per consummationem ponendus esset; quod absurdum.

Sed Pharisei, viuentes adhuc, et quorum hinc *ἀπείρα* nondum finalis erat, verlabantur in gradu summo peccati in Spiritum S. per concessum a me.

E. Pharisei viuentes adhuc, quorum hinc *ἀπείρα* nondum finalis erat, consummarunt peccatum in Spiritum S.

E. peccatum in Spiritum S. non demum consummatur perseuerantia vel *ἀπείρα* finali.

E. Distinctio peccati in Spiritum S. inchoati et consummati, a me posita, vacillat.

Ast multum abest, ut hoc mihi argumentum imponat, quia inter peccati in Spiritum S. consummationem qua intensiorem et protensionem, quam non vidit Vir Cl. diuersitatem, distinguo, *consummationem qua intensiorem* dicens, quæ ad gradus, *qua protensionem*, quæ ad durationem temporis pertinet. et consummationem qua protensionem intelligens, cum perseuerantia finali consummari hoc peccatum, doceo. Adplica, fodes, hanc datam distinctionem, nec vallicare tantum argumentum, sed totum ruere, intelliges.

Quicumque in summo gradu peccati in Spiritum S. versatur, ille peccatum hoc consummauit qua protensionem;

Atqui Pharisei viuentes adhuc, cet. E.

negatur maior. Nam consummatio huius peccati qua protensionem perseuerantiam finalem dicit; quam adesse, simulac gradus eius summus adest, nulla ratio exigit. Non enim mori eum in hoc peccato confestim, qui in gradu eius summo versatur, necesse est. Porro

Quicumque in summo gradu peccati in Spiritum S. versatur, ille peccatum hoc consummauit qua intensiorem;

Pharisei viuentes adhuc, cet.

E. Pharisei viuentes adhuc consummarunt hoc peccatum qua intensiorem;

Concede totum. Concludas autem, velim, porro:

Si Pharisei viuentes adhuc, consummarunt peccatum in Spiritum S. qua intensionem, non potuit id demum ab iis consummari perseverantia vel ἀρρηξία finali;

negatur consequentia, quia posterior hæc consummatio qua protensionem est; at nil obstat, quin peccatum, intensiue iam consummatum, protensiuè adhuc perseverantia vel ἀρρηξία finali consummari potuerit. Itaque primus ictus sic declinatus est.

XVI.

An Pharisei consummarint peccatum in Spir. S. sola blasphemia?

Sed alio adhuc modo Vir S. R. Phariseos blasphemia consummasse peccatum in Spiritum S. probaturus pergit p. 14: Cum ipsemet Seruator dixerit Marc. III, 29. ὅς ἐσθ βλασφημία ἐς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἃ ἔχει ἄριστον

ἐν τῷ αἰῶνι, ἀλλ' ἕως ἐστὶ αἰῶνι κρείσσον. Qui blasphemaerit Spiritum S. non habet remissionem in æternum, sed reus est æterni iudicii,

et euangelista illud essatum ad præsentem peccatores adplicet v. 30. ὅτι ἐλαγὸς πνεῦμα ἀνάδατος ἐστὶν. Quia dicebant: Spiritum immundum habet,

an non de peccato consummato loquutus est? Procul omni dubio, nisi eadem iudicium, eandem irremissibilitatem ad peccatum quoque in Spiritum S. inchoatum adplicaueris, quod tamen ex mente Cl. CARPOV fieri sine contradictione non posse, infra obseruaturi erimus. Concludit igitur ita:

Si Christus Phariseis, peccatum in Spiritum S. blasphemando committentibus, omnem remissionem denegauit, vt denegauit per II. cc., sequitur, vt illi per ipsam blasphemiam peccatum hoc consummarint.

Alias enim peccatum in Spiritum S. tantum inchoatum esset quod irremissibile; quod secundum me falsum sit.

Sed queritur: vtrum Christus Phariseis blasphemantibus omnem remissionem denegauerit, spectato hoc actu tantum, an spectata simul perseverantia finali, quam Christus per omniscientiam in omnibus, certe in multis eorum prauidit? Neque ego hic membrum prius, sed posterius adsumo, ita limitans antecedens:

Si Christus Phariseis, peccatum in Spiritum S. committentibus, omnem remissionem denegauit, spectata simul perseverantia finali, ab ipso prauisa, sequitur, vt illi per ipsam blasphemiam peccatum hoc consummarint.

Sic vero negatur consequentia, quia hoc potius sequitur, vt per perseverantiam finalem Pharisei hoc peccatum consummauerint. Limitato vero antecedente ita:

Si Christus Phariseis, blasphemando peccatum in Spiritum S. committentibus, omnem remissionem denegavit, spectato hoc actu tantum, sequitur, ut illi per ipsam blasphemiam peccatum hoc consummaverint;

antecedens negatur. Vnde neutro modo Vir S. R. aliquid contra me est lucratus. Non equidem ignoro, distinctionem allatam Viro S. R. quia e re eius non est, displicere; vnde data pro auctoritate, sed frigida responsione, reprimere itam molitur. Scribit enim p. 39. contra *Non neminem: Verum questio hic non est, de illo, quod facere potuit Servator vi omniscientia, atque præscentia, sed de eo, quod fecit tamquam iustus iudex, atque vindex, quoad peccatum commissum. Non is egit in hac causa Prophetam de futuris vaticinantem, ut Job. VIII. 24, sed ipsum Scribarum convitium, vipote iamprolatum, taxat Marc. III, 30. Sicine Christus, in terris agens, officium iudicis et vindicis, gessit? Sed ipse docet Ioh. III. 17: non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum; et ipse testatur de se Ioh. XII. 47: si quis verba mea audiat et non credat, ego non iudico illum, non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut saluem mundum; et iterum Luc. IX. 56: filius hominis non venit, ut animas hominum perdat, sed ut saluet. Vnde dictum Iesu Ioh. IX. 39: Ad iudicium ego in hunc mundum veni, ut non videntes (spiritualiter) videant, et videntes (spiritualiter, secundum falsam suam persuasionem) cæci fiant, non de actu, sed de eventu intelligendum est, idque eo magis, quia neminem cæcum Iesus reddidit. Itaque ipsius Christi effatis, responsionem meam exceptione infirmaturus, Vir S. R. repugnat: quod doctorem religionis, sollicitè circumspicientem, ne quid detrimenti capiat ecclesia p. 3, non decebat sane. Non iudicis, non vindicis, sed doctoris et prophetae personam Christus in præconiis suis gerebat. Quoniam vero talis erat doctor, quem vi omniscientia nil futurorum fugiebat. status futuros auditorum suorum prævidebat distinctissime; vnde quemadmodum prævidens finalem eorum impoenitentiam fore, ut in peccatis suis moriantur, prædixit alio tempore Ioh. VII. I. 24: sic in præsentis negotio etiam Pharisaorum prævidens impoenitentiam finalem, fore, ut nunquam peccati in Spiritum S. remissionem impetrent, nec impetrare possint, prædixit. Quamobrem dum Phariseos peccatum in Spiritum S. sola blasphemiam eructata, et hinc ante finem vitæ, consummasse, probatum non est, nec hoc argumentum distinctionem peccati inchoati et consummati in Spiritum S. tollit.*

et hinc dicta
eius differ-
entia cadat

XVII.

An dentur
gradus pec-
cati in Spiritu
S.

et in quo siti
sunt?

Solent a Theologis gradus peccati in Spiritum S. constitui. Bud-
deus in *Instit. Theol. Dogm.* 1. 3. c. 2. §. 34. * p. 244. *Vt in aliis quoque*
inquit, peccatis, ita et in eo, quod in Spiritum S. committi dicitur, certos
obseruare gradus licet; ita vt ab initio eius incrementum et ab incre-
mento Supremum eius fastigium discernatur. Initium eius in iis con-
spicere licet, qui verbum diuinum contemnuunt, irrident, ludibrio ha-
bent, deque Spiritus Sancti operibus contumeliose loquuntur. Hæc qui
pro peccatis non agnoscunt, sed strenue potius in iis pergunt, facile ul-
terius progrediuntur, et ad veritatis caelestis abnegationem, constan-
temque reiectionem, tandemque blasphemiam, prolabantur. Vnde et eos,
in quibus initium istius peccati, aut quedam ad illud dispositio est, haud
difficiliter designare licet. Gemino modo Ioach. Langius in *Diss. 2. de*
peccato in Spiritum S. propos. 5. scribit: Exseruit sese in Phariseis et eorum
similibus veritatis hostibus peccatum in Spiritum Sanctum diuersis mo-
dis ac gradibus, vti sunt odia, calumnia, captiones ac detorsiones ver-
borum, cauillationes operum, insidia ac diuexationes, ad vincula, exilia
ipsamque eadem vsque progressæ; quod variis deinde Scripturæ locis
illustrauit et confirmauit. Generaliter autem Kromyer in *Theol. Po-*
sitiuo-Polem. P. II. loc. 8. aphor. 18. §. 4. p. 186. scribit: *abuti dicto Io-*
hannico (1. Iohann. V. 16.) *qui pro iis etiam, qui consistunt adhuc in gra-*
adibus primis huius peccati, non esse orandum, colligunt. Itaque nec
mihi vitio versum iri, gradus docere peccati in Spiritum S. arbitratum
sum *Theol. Rev. T. I. §. 1390.* Est autem peccatum in Spiritum S. op-
pugnatio malitiosa et speciosa veritatum caelestium, ad salutem homini
adplicandarum, quod Vir S. R. fatetur. Quare cum officium hoc Spi-
ritus S. in conuersione hominis impediri et oppugnari possit modis di-
uersis, quorum alii aliis atrociores sunt, licet omnes conueniant in notio-
ne generali oppugnationis malitiosæ veritatum caelestium, constitui in
iis gradus diuersos peccati in Spiritum S. ita, vt gradus eius sit inferior,
si oppugnatio illa malitiose quidem, sed modo minus atroci, superior, si
atrociori modo fiat. Et sane ipsa rei natura gradus constitui postulat.
Eo enim, qui contra conscientiam veritatem caelestem argumentis spe-
ciosis oppugnat, atrocius agit, qui etiam ludibrio habet; hoc, qui etiam
conuicia et blasphemias in illam eructat; hoc, qui testes veritatis quo-
que radicatus extirpatos vult, et pro viribus extirpat: neque qui in ho-
rum graduum inferiori versatur, eum ad superiorem accedere, necesse est,

licet id possit accidere et accidat plerumque. Sed illi omnes in oppugnatione malignosa veritatis caelestis conveniunt. Quocirca dari gradus peccati in Spiritum S. docet ipsa natura rei et definitio, quam scripturae consentaneam esse, ostendi (T. I. §. 1388.) et Vir S. R. concessit.

XIX.

Non impediēte hac veritatis luce, Vir S. R. gradus peccati in Spiritum S. concedere detrectat. *Taceor*, inquit p. 15, *diversis modis officium Spiritus S. impediri posse, et oppugnari. Sed sollicite iuxta Spiritum S. cauendum erit, ne, quoad praesens argumentum, nimis faciles simus in admittendis gradibus in re ipsa, quae per circumstantias mutari nequit.* Sed faciles debemus esse in admittendis veritatibus luculente demonstratis, qualis est praesens de gradibus peccati in Spiritum S. Pergit l. c. *Ita, si quis ignorans oppugnauerit veritatem caelestem, aut metu periculi, indicio id est, peccatorem talem non peccare in Spiritum S. ex quo neque conuictus est de veritate, neque spontanee agit.* In hoc non habeo, quod desiderem, quoniam ipse hoc docui et demonstraui T. I. §. 1391. *Mentem nostram, ita pergit ulterius l. c. aperuimus in cit. Dissert. de peccato in Spiritum S. pag. 41. Quandoquidem verbum externum est index verbi interni, h. e. conceptus, vel cogitationis, et § 5. obs. 2. demonstraui, scribas et Phariseos deliberato animo, conuictum, de quo questio est, protulisse, quin in corde suo, antequam ore blasphemabant, blasphemarint, nemo facile negauerit. Inde constat, blasphemationem quoque in cogitatione consistere, etsi concedamus, non cum illo scandalo quam dum ore profertur. Hoc obseruato, sponte quoque fuit Scribas et Phariseos, commisisse peccatum in Spiritum S. quoad se in indiuiduo, etiamsi blasphemiam, in animo conceptam, verbis non protulissent, aliis offendiculo existentes, quod tamen et fecerunt. Et in not. (b.): Si gradus admitterentur peccati in Spiritum S. - - utique pro ratione scandali definirentur. Inde sequitur, nos hypothetice de hisce gradibus loquutos esse, nimirum, si admitterentur, quamquam in antecedentibus de consummato eodem peccato locuti fuimus, tam cogitatione, quam actibus externis declarato. Si pro ratione offensionis aliorum maioris vel minoris gradus peccati in Spiritum S. constituat Vir S.*

An gradus peccati in Spiritum S. recte ponantur in gradibus offensionis aliorum?

S. R., non equidem repugno; nego, illud sufficere. Gradus enim offensionis aliorum sequuntur gradus atrocitatis in oppugnatione veritatum celestium ita, ut quo quis minus vel magis atroci modo has oppugnat, eo minorem vel maiorem aliis præbeat offensionem. Quare non tantum in gradibus offensionis, ex peccato in Spiritum S. manantis, sed etiam in ipso hoc peccato gradus eius quaerendi sunt.

XIX.

An scriptura graduum peccati in Spiritum S. nullam mentionem faciat?

Prouehitur vterius Vir S. R. scribens p. 15. 16: *Scriptura Sacra graduum huius peccati nullam mentionem facit.* Quid tum, si non faciat *κατὰ τὸ ἰσχυρὸν*; Sufficit, eos sequi ex definitione, ex Scriptura deriuata, quam nec negauit Vir Clar. Multa in Theologia vera sunt, quæ *κατὰ τὸ ἰσχυρὸν* in Scriptura non leguntur. Ast ne id quidem concedo. Narrat enim Scriptura modos, quibus Pharisei veritatem celestem in Christo impugnabant, alios atrociores aliis, cauilla et captiosas quaestiones, conuicia, blasphemias, insidias vitæ, consilia sanguinaria, interneccionem crudelissimam, sectatorum quoque infectationem hostilem et cruentam; in quibus gradatio manifesta est. Sed pergit l. c. Vir S. R. *inde procul dubio* (Scriptura S. graduum peccati in Spiritum S. nullam mentionem facit), quod ex natura eius est, quauis data occasione malitiam, animo conceptam, pleno ore euomere, quemadmodum fecerunt Pharisei, et Scribe, ut adeo, si poneremus, dari casum, in quo peccatum hoc externo verbo manifestari non posset, v. gr. cum vel solus esset alicubi peccans, vel, in aliis negotiis huius seculi constitutus, conuitia tanti per omitteret, inde tamen non sequeretur præcise gradualis aliqua differentia, cum intentio semper foret eadem quouis modo veritatem celestem oppugnandi, dummodo adesset occasio. *Τὸ ἰσχυρὸν* Scripturæ in gradibus peccati in Spiritum S. a nobis postulans Vir S. R. ostendat, quæso, *τὸ ἰσχυρὸν* in eo, quod paulo ante (§. 18.) et iam adseruit, *peccatum in Spiritum S. meris cogitationibus committi posse.* Scripturæ *τὸ ἰσχυρὸν* docere potius contrarium, docet Musæus in *Disp. de peccato in Spir. S.* §. 30. scribens: *Constat ex locis Euangelistarum allegatis, peccatum in Spiritum Sanctum proprio committi verbis. Vocatur enim expresse, verbum quod quis loquutus sit aduersus Spiritum Sanctum et blasphemia in Spiritum Sanctum. Quia autem Spiritus Sanctus hic, ut dictum, ratione officii consideratur, Verbum quod loquuti fuerint homines aduersus Spiritum S. et blasphemia, qua eum blasphemauerint, formaliter erit blasphemum, siue contumeliosum dictum, quo Spiritus Sancti officium impeditur, ut fieri solet, cum, patefacta a Spiritu S. veritas ip-*

An peccatum in Spiritum S. meris cogitationibus possit committi?

si-

fus esse, siue ab ipso profecta esse negatur, impugnatur, et conuictis profcinditur, vel opera miraculosa virtute Spiritus S. in doctrina patefactæ confirmationem edita virtui et operationi diabolicæ adscribuntur, ut faciebant Pharisei et Scribæ, calumniantes, Christum eicere demonia per Beelzebub, principem demoniorum Matth. XII. 24. Marc. III.

22. Sed fingamus, peccatum in Spiritum S. solis cogitationibus ab homine, quoad se in indiuiduo, vt loquitur Vir S. posse committi. Errat sane quisquis negauerit, tali in Spiritum S. peccato minorem grauitatis graudum inesse, quam ei, quod in conuicia et blasphemias erumpit. In omni peccato, quod actu externo consummatur, ita se res habet vt leuius peccet, qui solam habet voluntatem et intentionem prauam sine actu externo; grauius, qui et voluntatem prauam habet, et actum externum committit; licet vtrique peccent vere. Nam in posteriore prauitas est duplex, in priore simplex. Itaque cum a genere ad speciem consequentia valeat, minor grauitas est peccati in Spiritum S. solis cogitationibus commissi, quam eius, quod in oppugnationem externam, ludibria, conuicia erumpit. At inquis, si quis prauam habet malum agendi voluntatem, soloque occasionis defectu, quo minus agat, impeditur, ratio, quod non egerit, non in ipso, sed in defectu occasionis est; vnde perinde est ac si egisset, ac voluntas recte pro facto ipso habetur. Fingamus, hoc in quibusdam causis ita esse. Demus etiam, eundem casum obtinere in peccatore in Spiritum S. Quid conficitur inde? Hoc, quod peccatum in spiritum S. solo actu mentis adhuc commissum, nec dum ob occasionis defectum erumpens in actus malos externos, in quos erupisset, si non defuisset occasio, eiusdem sit grauitatis ac tale, quod in actus externos prauos erupit. Huius oppositum vero dum ego in Theologia nusquam docui, hoc docens tantum, quod secundum oppugnationem veritatis caelestis magis vel minus atrocem gradus peccati in Spiritum S. dentur, nil ista propositio, vtcunque se habeat, attinet ad me.

An meris cogitationibus commissum sit æque graue ac quod in malos actus externos erumpit?

XX.

Sed angustos Programmatissimos limites præter opinionem transgressus, desino iam disputare, vt argumento scriptionis præcipuo locus fiat. Scilicet augustissimus dies natiuitatis

Dies natalis Serenissima

D

SERE-

SERENISSIMÆ CELSISSIMÆQVE PRINCIPIS
SOPHIÆ CAROLINÆ ALBERTINÆ,
DVCIS SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ
WESTPHALIÆ CET.

PATERNIQVE GENERIS IVRE
MARCHIONIS BRANDENBVRGICÆ DVCIS BORVSSIÆ
CET.

PRINCIPIS ET DOMINÆ NOSTRÆ CLEMENTISSIMÆ,

per gratiam Numinis supremi trigesimum tertium ætatis annum superantis, anniuersaria vicissitudine cras redit denuo. Quare si absentis natalem bis celebrauimus ouantes, quanto magis præsentis? Si de salute absentis aliquoties solliciti tutelæ cælesti eam commendauimus, quanto ardentiores Deo gratias agemus, postquam voti damnati, saluam reducem vidimus MATREM PATRIÆ INDVLGENTISSIMAM? Quamuis enim multum absit, vt locorum distantia pii adfectus sinceritatem in nobis minuerit, est tamen insitum naturæ, vt maius incitamentum gaudii fructio bonorum præsentium, quam eorum, quæ e longinquo spectamus, impeditet. Itaque veluti Deo immortalis humillimas gratias persoluimus, quod in altera parte terrarum SERENISSIMI SERENISSIMAM saluam prospitemque seruauerit, repulsisque, si quæ fuerunt, sanitatis incommodis, incolumem non ita pridem reduxerit in sedem STIRPIS CELSISSIMÆ natiuam: ita curæ atque tutelæ Numinis denuo et maxime hoc die PRINCIPEM OPTIMAM etiam atque etiam commendamus, precati, vt non minori amore Ipsam, quam Ipsa nos, complectatur, et in principalis dignitatis fastigio non minorem Ei salutem, prosperitatem, incolumitatem, quam Ipsa ciuibus vniuersis singulisque adprecatur, concedat; quo facto, natalem hunc lætissimum post seros annos celebrandi, non deerit nobis occasio opportuna.

XXI.

Enim vero nec Musæ nostræ in communis gaudii significatione silebant, dum septem iuuenes bonæ spei laudabiliumque profectum

I. IOHANNES GEORGIVS HASE

et

II. CHRISTIANVS HENRICVS HASE

Roslaiuenses,

III.

*Syllabus oratorum
scholasticorum*

III. IOHANNES PETRVS FISCHER

Gebstadiensis,

IV. CHRISTIANVS FRIDERICVS LAVHN

Burtstadiensis,

V. IOHANNES FRIDERICVS HVFELAND

Tentstadio-Thuringus,

VI. AVGVSTINVS IACOBVS MÆTCKE

Harzigeroda-Anhaltinus,

VII. CAROLVS FRIDERICVS IAHR

Dresdensis,

adfunt, qui publice declamando natalem hunc fulgentissimam concelebrare, instituerunt. Etenim

PRIMVS eorum longæuitatis patriarcharum veritatem indubiis argumentis confirmans, SERENISSIMÆ PRINCIPI ætatem, si non parem ætati patriarcharum, quippe quam præsens hominum conditio non capit, talem certe, quæ tot annorum decadibus terminetur, quot sæcula ætas quam maxime longæuorum comprehendit, post omne aliud salutis principalis genus communi omnium nomine adprecabitur. Cumque sapius alias dictiones scriptorum profanorum, declarandas publice, oratoribus nostris scholasticis dederim, quid obstat, quo minus sacriam quoque codicis loca quædam coram panegyri illustrentur? Itaque decem prioris libri Samuelis capitibus tam qua argumentum, quam qua singula textus Hebræi verba, postquam linguam Hebraicam primi ordinis discipulos docere publice, ad me pertinuit, explicatis, themata declamationum hauriri inde, mihi visum est, et hanc ipsam ob causam oratorum nostrorum

*cum argu-
mentis de-
clamatio-
num.*

SECVNDVS ad 1. Sam. VII. 3. seqq. de emendatione ecclesiæ Israeliticæ, per Samuelem facta;

TERTIVS ad 1. Sam. VI. seqq. de Dagone, Philistæorum Deo;

QVARTVS ad 1. Sam. VIII. 7. de Theocratia Israelitarum;

QVINTVS ad 1. Sam. VIII. 11. seqq. de iure regio apud Israelitas;

SEXTVS de regimine Sauli, fatorum regni Israelitarum typo;

D 2

SE.

SEPTIMVS ad 1. Sam. IX, 7. 8. de muneribus, prophetis oblati dicentita, vt oratione prosa Latina primus, quartus, sextus, Gallica secundus, tertius, Græca quintus, denique carmine vernaculo septimus vtantur.

XXII.

Inuitatio.

Superst, vt ad Vos, OPTIMATES, MÆCENATES, RELIGIONIS ARTIVMQUE DOCTORES, reliquique VIRI ERVDITI et ERVDITIONIS FAVTORES, orationem dirigam. Testes Vos esse non tantum diligentiae et ardoris discipulorum, sed etiam, quod maius est, pietatis nostrae in MATREM PATRIÆ INTEGÈRBIMAM, nostraque vota stipari et confirmari Veltris, volo. Qua de causa vt cras post horam VIII. matutinam in auditorio Gymnasii maiore frequentes confluat, et solemnitas nostra illuminetis praesentia Vestra, hoc est, quod obsequiose modellest, que Vos rogo et obtestor, officia reuerentiae et humanitatis omnia vicissim Vobis promittens.

P. P. VINARLÆ, PRIDIE NATALEM SERENISSIMÆ D. XXVI. IVL.
M DCC XLVI.




Index.


- 1.) Hafaus de Tribz scitu credituz necessarius. P. I.
- 2.) ————— P. II.
- 3.) ————— P. III.
- 4.) Lampe de Inspiratione.
- 5.) Nonnen de Donis Spiritus S. Extraordinarius P. I.
- 6.) ————— P. II. (Rel. Vd. Tom II Theolog.
- 7.) ————— de Juribz Satana veris & pratenfis in genz humanuz.
- 8.) Hirchhoff de Christo homine obligatione legum div. anteccd. & externa soluto.
- 9.) Nonnen de Summo Dominio Scandinaviae Galtati in Universum.
- 10.) Scheele de Praesentia Salutis humanae per Christum parte pro felicitate concreatâ in statu integ.
- 11.) Nonnen de Fide in Nomen Domini nostri, Jesu Christi, filii Dei.
- 12.) Carporii Illustrationis apologeticae Peccati in Spiritu Sanctum Specimen I
- 13.) ————— Spec. II
- 14.) ————— Spec. III.
- 15.) ————— Spec. IV.
- 16.) ————— Spec. V.
- 17.) ————— Spec. VI.
- 18.) ————— Spec. VII.
- 19.) Observationum contra Carporii sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.
- 20.) Schwarz de Sensuum in dejudicandâ Transubstantiatione Missakia Testimonio.
- 21.) Nonnen de Austâ Beatorum gloria post consummationem Mediatoris.
- 22.) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.
- 23.) ————— Pars elenctica.
- 24.) Nonnen de Debus Tabernaculi typis collectum.
- 25.) Camerarius de Luctâ precum.
- 26.) Meier de Discrimine ego quod Naturale & Morale dicitur in Theologia.
- 27.) Serpili Scior Theologorum.
- 28.) Zacharia de Fraternitate Christianâ.
- 29.) Lindberg de Prajudiciis practicois Christianismo noxiis.
- 30.) Kou Milschoffen de Prudentiâ nupturientium gamica.





[Faint, illegible handwritten text on aged paper]

[Faint handwritten notes or list items]









Divino certum esse putant pleriqve, bene-
 otis literaliter probari non posse, sed tamen
 im, aliorumqve populorum piè introdu-
 nde patet, qvòd aliquot Exempla Patriar-
 rum dantur, ubi matrimonialis benedictio
 ec. XXIV, 60. Ruth. IV, 11. Tob. IX, 9. Et
 oithalamium pepigit Ecclesiæ Sponsæ Chri-
 stor *Leo* ad omnia matrimonia constituit
 gram benedictionem, sive ut Græci vocant
 , ut sine hâc nullum voluerit esse ratum
 De *Jure* quidem *Romano* statuunt alii, hanc
 on fuisse necessariam, aut de matrimoni
 moribus *Christianorum* est vetustissimum in-
 ve temporibus nostris eâ nunc necessaria
 eritò, ut adeo inanis illa disputatio, hanc
 cclesiæ non necessariam aut de *Substantia*
 Ambabus enim manibus hoc conceditur
 is, sed mores prædominantur. *Quod totus*
 , ego non audeo damnare, ait *Baldus* auriga
 ldo:
is sponsus, sacras ut firmet ad aras
sam thalami Numine teste fidem.

Qv. An nuptias die Dominica instituire li-
 pislime Sabbathò nuptias celebrari, autor
 nag. Jud. c. 15. p. 323. Idque ideo, ut eò
 bitus, & majore Sabbathum honore afficia-
 à noctè concipiuntur, ut plurimum in præ-
 e indolem, & in sapientum Discipulos eva-
 pprimis si bonæ & puræ interveniant cogi-
 m coitûs voluptas, qvàm Sabbathi cultus
 ur. Sanior mens Christianis antiqvis etiam
 a, qvi, qvâ erant in Deum pietate, solennia
 a à nuptiis agendis exemerunt, & in hunc
 usqve

Die Domi-
nicâ Copu-
latio, non
comparatio
Nuptialis
fieri potest.